Res. 4
Anat.
155

Anat. 155 4°

JOANNIS JACOBI RAU

RESPONSIO

Ad qualemcunque Defensionem

FREDERICI RUISCHII,

Quam haud ita pridem edidit, pro

SEPTO SCROTI.

In quâ hujus Litis Anatomicæ detegitur Origo:

ET

Septum Scroti, ab ipso descriptum, & delineatum fictitium esse, clarè demonstratur.

Adjuncta est hujus calci Auctoris Epistola.

AMSTELÆDAMI,
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, Bibliopolas.

M. D. C. C.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

LECTORI ÆQUO,

S. P. D.

JOANNES JACOBUS RAU.

QUinquennium est, Lector candide, ex quo me primum hanc Urbem ingressum tam Procerum favor, quo peregrinos excipere solent, per omnes terræ plagas decantatus, quam civium allicuit integritas & modesta consuetudo, sic ut Patriæ Urbis ter ab feroci bellantium insultu incendio devastatæ, facilè oblitus, sub hujus placidæ gentis præsidio vitam agere apud me constituerim. Ab hoc tempore in eo vigilavi, ut studia mea præcipuè Anatomica & Chirurgica hujus Urbis Medicis & Chirurgis probarem: nec caruit res successu, nam postquam in ædibus meis, cerebrum, & organa sensuum exteriora quinque, †in sex prælectionibus in cadaveribus humanis demonstravissem; subsequente hyeme organa soni, vocis, & loquelæ exhibere eodem ordine aggressus fui. Hanc meam demonstrandi Methodum, physicumque ipsi adjunctum sermonem, quum non displicere Medicis & Chirurgis hariolarer, statui singulis hyemis tempestatibus quædam producere. Sed hoc me cogitante, interrupit meum laborem invidia, pessima plerumque studiorum pernicies, meorum tamen per singulare in illo tempore fatum conservatrix. Has enim Exercitationes meas Anatomicas domi meæ privatim institutas quum impedire conaretur Ruischius, in hujus Urbis Theatro Anatomico Prælector ordinarius, in ipso conatu impedivit se laqueo, quem mihi paraverat, qui scilicet quærens studiorum meorum interitum, eorum factus est imprudens Erector & Promotor. Eodem enim adhuc anno * Amplissimi Consules studiorum Mœcenates optimi, receptis prius ab Collegio Medico actorum meorum testimoniis, mihi fecerunt (quem honorem nunquam

A am-

† *M. DC. XCV.* * *M. DC. XCVI.*

ambire ausus fuissem:) in Theatro Publico cadavera dissecandi potestatem, hoc clementi adjuncto mandato, ut eodem adhuc anno initium facerem à sensuum organis publicè, quæ privatim proximè elapsa hyeme demonstraveram. Cæteros quos Ruischius adhibuit cuniculos, ut hoc everteret, jam enarrare supersedebo, ne hujus viri genius vario adhuc nomine celebris & celebrandus, plurimis odiosus fiat. Tertia quæ subsequebatur hyeme * ab hoc meo labore in Theatro publico non destiti, sed Organa respirationis anatomicè dilucidare aggressus, veterum mentem cum recentiorum dogmatibus contuli, sententiam utrorumque probavi, quando nimirum à legitima mechanica non abiret: Præterea ut pulmonis structura & usus ab Auditoribus meis clarius perciperetur, addidi in singulari demonstratione cordis fabricam in natis & non natis. hæc omnia tractavi verbis placidis, quæ ne minimum contentionis virus in se continerent; quamvis heic loci mihi videbatur oblata occasio tela inimicorum meorum tam protervè in me conjecta in illos retorquendi: sed ab hoc vindiciarum genere abstinui ratione loci, quem præstantia ex Eruditorum consessu commendabiliorem reddit, quam ut ejusmodi apologeticis sermocinationibus repleatur: hæc tamen omnia animum Ruischii nostri mitigare non potuerunt; procedit eodem ritu quò antea, & me artem meam (quam scit à viris Medicæ peritis non improbari) exercentem, tam inhumanè persequitur, ut alia remedia circumspicere coactus fuerim, quibus irarum ejus procellas compescerem.

Abstinui nimirum à publica prælectione, quæ mihi Ao M.DC.XCVIII. habenda publicè fuisset, & abstinuissem totus imposterum a prælectionibus publicis, nisi me de novo incitavisset quam plurimorum præstantium virorum candor & humanitas, illorum præprimis, qui me antea tam avidè auditum veniebant, quorum dulcis, & perhumana ad solitum laborem exhortatio, animum meum jam quasi in his curis soporosum adeo expergefecit, ut rursus cogitare inciperem, hujusmodi exercitationes meas reiteratas, plurimis Anatomen & Chirurgiam discentibus non inutiles fore. quapropter antea incepta reiteravi, ad reiterata, ut antea feceram, plurimos invitavi, inimicos, amicos, sed præprimis rerum æquos adesse Censores exoptavi; sed quum hâc potissimum parte hoc anno studuerim, ut pro viribus Chirurgis prodessem, censui longè belgicam linguam intentioni meæ accommo-

* *M. DC. XCVII.*

modatiorem fore Latinâ. Musculos igitur in corpore humano secui universos, illorum origines & insertiones accuratè notavi, varium illorum usum diversaque nomina quantum potui succincto docui sermone in triplici lectione; priori verò biduo operationes quasdam Chirurgicas illa, quâ utor in vivis, methodo in cadavere exercui.

Hoc non feci ut Clarissimum Fredericum Ruischium læderem, qui hucusque solitus est similes operationes in usum Chirurgorum in cadaveribus exercere, sed ut ego Operatoris & Litothomi titulo, Clementer ab Amplissimis ac Nobilissimis Consulibus mihi tunc temporis concessō, dignum aliquid & consonum exhiberem.

Quid fit? hoc nomine jus suum Cl. Ruischius à me violatum putabat, & quum voluerit, nec tamen belgicæ linguæ usum mihi interdicere potuerit, nec potestatem impetrare valuerit ab viris, à quorum piâ voluntate & justo moderamine salus & fortuna civium dependet, propositum hoc meum evertendi, quo Chirurgis id à me efflagitantibus difficultates quarundam Operationum Chirurgicarum enucleare decreveram: nova alia in me, qui nunquam illum lædere in animo habui, protendit tela, & me plagii in suis publicis lectionibus insimulavit, cujus an sim reus nec ne penes te, Lector, relinquam judicium, postquam unde insimulationis suæ causam desumpserit Ruischius tibi audè expositero.

Inter illas itaque, quas superius me exercuisse memmoravi, operationes Chirurgicas, erat antiquissima quam Phalangosi, id est relaxationi superioris palpebræ, adhibui.

Hujus affectus Etymologiam variam postquam enarravissem, causam ejus externam, internam, remotam & proximam exposui, morbumque varium quantum potui accuratè distinxi, triplicem illum feci.

Primum relaxationem cutis palpebræ esse innui, quem affectum græci distichiasin vel trichiasin aliquando etiam nominant; quamvis apud eosdem Auctores hisce nominibus duplex vel triplex ciliorum ordo ordinariè designetur.

Alterum ubi fibræ musculi palpebram relevantis proprii laxatæ sunt sinul, & tonum quasi naturalem amiserunt.

Tertiam omnium infensissimam speciem esse dixi, quando universum musculum paralysis invasit: cæteraque minoris momenti causas, quæ palpebram suo pondere deprimere & explicare possunt, addidi, ut sunt, tumores, limphæque in eâ coacervatio. & porrò non neglectis, quæ

signa diagnostica vel conspiciuntur, vel mentis adminiculo deteguntur, curationis necessitatem expendere cœpi, & tandem duplicis generis arma, medicamentaria scilicet & operaria, quibus industrium Chirurgum instructum esse oportet, attuli, aperui, bona laudavi, mala damnavi, mediocria correxi. sed quum in animum induxissem respectu cadaveris, quod tum præ manibus haberem, solam operationem exercitare, particularia huic morbo dicata medicamina studio neglexi, & in genere tantum de illis verba feci, ne quoddam Chaos juniorum mentem obrueret; mox me ad ipsam phalangosin curandam contuli per manuum operam; quod antequam facerem, sic præfabar belgicè:

De geneſinge der drie ſoorten van 't bovenſte verlangde Ooglid, door de hand-cuur, beſtaat daar in, dat men het geen verlangd is verkort, mits een ſtukje uit te ſnijden, ende de einden der wond, daar het ſtukje uitgeſneden is, wederom door een naald en draad aan een te hegten.

Porro de agendi modo sic sermonem continuavi:

De oude Schryvers dan van de Chirurgie, ik meene die, dewelke ſelfs hand aangelegt, ende alſoo door eigene ondervindinge geſchreven hebben, hebben, naardien ſy beraamt hadden, hoe veel van't Ooglid uitgeſneden moeſt werden, het beraamde deel tuſſen de duim en de twee voorſte vingeren gevat, ende het ſelfde met een welſnydende ſchaar of mes afgeſneden, de einden der wonde aan malkander gehegt door een naald en draad, door 1. 2. 3. *of meer hegten, naar eiſch van de groote des uitgeſnedenen deels: maar om dat deeſe manier van opereren ſeer moeilyk waar, wegens het ſterke bloeden, aan de Oogleden, gelyk aan de andere wonden des aangeſigts gemeen, ook wegens de gedurige beweginge des Ooglids en Oogbals ſelfs; al het welke den Operateur in de handelinge verhindert, om ſyn voornemen met ſpoet en voordeel uyt te voeren, ſoo ſyn eenige op andere middelen bedagt geweeſt. Onder deeſe is * Georg Bartish, welke door een klemmend of nypend inſtrument, gemaakt van yzer,*

* *Sie ſijn Boek genoemt Oogen-dienſt. Cap. XIV. pag.* 300.

zer, het beraamde deel des Ooglids, dat men anders, gelijk ik geſegt heb, affnijd, ſoo wil toenijpen, dat het ſelve door verloop van de tijd van ontrent vier weken, kwam te verſterven, en af te vallen, ende alſoo het Ooglid korter werdende, ſijn vorig gebruyk wederom verkrygen ſoude, often minſten het hoornvlies door 't verkorten van dit lid mogt wederom ontbloot werden; maar ik meene dat deeſe wyze van doen gefingeert is, ende nooyt kan in 't gebruyk gebragt werden.

Addidi porro: *Om deeſe ongemakken, nu boven verhaalt, in 't affnyden van 't Ooglid te vermyden, ſoo heb ik dit inſtrument op duſdanigen wyze geappropriieert * tot een gants andere inſigt als onſen Bartish; ſijnde het ſelve van koper gemaakt, en met gaten doorboort.*

Uſum hujus inſtrumenti una opera in cadavere oſtendi, qui ſic ſeſe habet. † *Men haalt ſoo veel van 't verlangde ooglid door, tuſſen de twee bladeren van dit inſtrument, als men denkt af te ſnyden: men nypt het matig toe, men ſet het met het ſchroefje vaſt. Men neemt de kromme naalt verſien met een draat, en ſteekt deſelve van onderen door ſoo veel gaten van dit inſtrument, daar het ooglid reeds tuſſen genepen is, als van noden is, t'elkens den draat boven het inſtrument af te ſnyden, dog dat hy onder en boven lang blyve ontrent drie vingeren breet: dan ſnyd men met een ſcherp inciſie mes het ooglid door 't inſtrument ſtekende, glat af: men ſchroeft het ſchroefje los, men neemt het inſtrument voorſigtig af, op dat men niet te gelyk de draden uythale: men bind de enden der draden t' ſamen, gelijk men gewent is te doen in een knoop ſuture: dit gaat veel gemaklyker als op de boven geſegde wyſe: want dit geſchied ſonder pyn, ſonder bloetſtorten: ook loopt men geen gevaar van wegen de bewegingen des ooglids ongelyke ſuturen te leggen, welke moeylyker te geneſen ſijn en ſware lytekens naar ſig ſleepen, ook heeft den lyder niet te vreeſen door de onvoorſigtige hand des Operateurs, met de naald in de bal van ſijn oog gequetſt te werden.*

Adjungebam & alia, ex quibus recidivam præſagire poſſis, cujus cauſam nunc plerumque in mala palpebræ conſtitutione quærendam, non raro tamen etiam in præternaturali globi oculi figura ſitam

* *Siet Fig. I. Tab. I.*

esse statui. Et hæc sunt illa, æque Lector, quæ in Theatro Anatomico die XI. Februarii * ni fallor, dixi verba, quæ in lingua Belgica referre potius fuit, quam in Latina, ut, qui me audiverunt illa dicentem, inde sensum veritatis, quem hic defendo, memoria revolvant. Huic Prælectioni quoque interfuit rogatus abs me Ruischius, ut in omnibus aliis, quas in eodem Theatro celebravi dissectionibus Anatomicis.

Finita hac prælectione de relaxta palpebra restituenda ei adjungebam modum curandi tres fistularum lachrimalium species & extirpationem uvulæ: ubi de hujus usu & vera constitutione ex professo differebam: nam præcedente die per trihorium ferè de perforatione cranii in ejus fractura & varia modiolorum specie, & quidquid ad hanc operationem bene instituendam conducit, verba feceram, quæ non omnino auditoribus meis displicere videbantur. & ipsi Ruischio instrumentum quod phalangosi restituendæ adhibui, non displicuisse, eodem ferè momento aliquibus testatus est. hoc si neget Ruischius, utpote cui perinde est negare vel affirmare, modo suæ conducat rei negatio vel affirmatio; Lector tamen ex invidia ejus hoc facile conjiciet: nam subsequente mense Maii, ni fallor XII. concedebatur Theatro Anatomico cadaver virile, cujus gula pridiè laqueo fracta fuerat, ab Cl. Ruischio dissecandum. hic quum prælectoris officio in eo fungeretur, eo videbatur prælectiones direxisse ut mihi contradiceret, vel potius ut solita sua eloquentiâ, & bene dicendi genere, agilique manuum opera, quam inde me gloriolam aucupatum esse crederet penitus deleret. Perforationem itaque cranii in prælectione sua prima susceptit: in hac contradixit sibi, experientiæ, rationi, tam crebrò, ut si scripta essent, quæ tum dixit Ruischius, haberem innumerabilia quæ RODERE possem.

In ultima prælectione ejus (tres autem vel quatuor tantum instituebat) placuit ipsi operationem meam in phalangosi repetere; verborum ejus summam & sensum intellige. Loquens de instrumento Bartischii, varia curva & recta ad imaginem Bartischii instrumenti fabrefacta monstrabat, ex cupro tamen, quod pessimum, nam ex ferro ea fabricare jubet Bartisch ut intentioni suæ satisfiat melius. Ea exhibens Ruischius adjungit hæc verba, *ne ego quoque Cornicula Æsopica videar, dico vobis hujus instrumenti Auctorem esse Georgium Barts:* &

* *M. DC. XCIX.*

& probans methodum Bartiſchianam ultrò pergit exhibere inſtrumentum meo æmulum, foraminibus pertuſum, hæc jungens verba, *hoc inſtrumentum eſt Petri Hadriani*, non audens dicere ab hoc Petro inventum; hærebat enim auditoribus recenter in memoria, mei vix ante bimeſtre exhibiti figura; hoc applicabat palpebræ & eodem ritu inſtituebat operationem, quo illam viderat abs me inſtitutam Cl. Ruiſchius. Ego hujus viri conſilium advertens, eodem momento, quo finita erat ejus prælectio, uſus libertate conceſſa ab AMPLISSIMIS SCABINIS Anatomiæ ſpectatoribus, rogabam Ruiſchium quomodo nominaret modo citatum Auctorem. Reſpondebat, Georg Barts vocatur, ego reſpondi me Georgium Barts non noviſſe, ſed Georgium Bartiſch, quem ego in mea prælectione haud ita pridem habitâ etiam citaviſſem. Barts inquit ille, vel Bartiſch quid hoc differt? Ultro citroque nil dictum fuit amplius. Tum deſcendo in Cameram Chirurgorum cauſa reprehendendi Ruiſchium placide. Venit Ruiſchius cum Henrico ſuo natu unico; mox ipſum ſic alloquor: Cl. Ruiſchi, gratias ago tibi maximas pro labore in te ſuſcepto in hâc diſſectione anatomica: ſed diſplicet mihi mentio plagii, quo me tacitè inſimulare voluiſti, cujus criminis me reum eſſe nec tu nec alius quiſquam probare poterit: Citavi ego Georgium Bartiſch, ſed ejus methodum rejeci, meam varia experientiâ inſtrumento foramibus pertuſo abs me facta adornavi. Tum ille: anne tu habes tale inſtrumentum? nunquam hoc ego abs te vidi. ego reponebam; memoria tua non tam labilis mihi videtur, ut neſcias illud, quod ante bimeſtre manibus tuis tractaviſti, vidiſti, examinaſti, & cujus cauſa has videris inſtituiſſe prælectiones. tu certe ante me tale nunquam exhibuiſti totis triginta annis, quibus huic Theatro præfuiſti. ego ante quadriennium præſentibus Cl. viris Dortmuntio & Romanno, Medicinæ Doctoribus, & præſtantiſſimis Chirurgis Chriſtiano Yle & Petro Roſeboom hanc operationem illo inſtrumento inſtitui. In meis Collegiis privatis ante Triennium, Biennium, & ante annum habitis hoc inſtrumentum quoque exhibui; quorum hæc fuerunt Membra, Dominus Julius Botticher Wolfenbuttelenſis, jam Anatomiæ Profeſſor in Gieſena Academia digniſſimus: Dom. Schacher Lipſienſis, Dom. Zimmerman Dreſdenſis: Dom. Tham Dreſdenſis: Dom. Quentin: Dom. Ruperti Bartelvelt: Dom. Buſſius Dreſdenſis: Dom. Agricola Ratisbonenſis: Dom. Ettmullerus Lipſienſis: Dom. Powels

Lon-

Londinenſis: Dom. Gulleman Auguſtanus: Dom. Braſch Lubecenſis: Dom. Albrechti Hildesheimenſis. Medicinæ Doctores: Dom. Chriſtiani Wolfenbuttelenſis: Dom. Winzlow Hafnienſis: Dom. Meiboom Helmſtadienſis: Dom. Mattheus Fremton Oxonienſis, Med. Candidati. hi teſtari hoc poterunt & alii quam plurimi, & præterea me ipſis exhibuiſſe Georgium Bartish, ejuſque inſtrumentum & hoc à me emendatum probaviſſe. Sed quidquid ſit de hoc inſtrumento. Ruiſchio incumbit, oſtendere, ſi me plagii, velit reum; allegare, unicum Auctorem, qui tale inſtrumentum foraminibus pertuſum, ex eodem ære fabricatum, eodem modo uſui factum, eidem intentioni adhibitum, cui ego uſui & intentioni illud adhibui, unquam ante me (ut more ſuo loquar) deſcripſerit & adhibuerit. Sed ego ipſi inſtrumentum Bartiſchiano inſtrumento etiamſi ratione materiæ abſimile, eidem tamen intentioni adhibitum demonſtrare poſſum in Auctore quodam qui ultra mille annos ante Bartiſchium ſcripſit. Itaque, mi Lector, jure tunc temporis ſic pergebam ad Ruiſchium dicere: Pronus es nimium, mi Ruiſchi, in aſſignando aliis plagio, quum tamen tu hoc vitio præprimis notandus ſis. Quid diceres? ſi te in deſcribendo Scroti Septo furtum feciſſe dicerem? quid? ſi plurimos tibi revelarem Auctores de hoc Septo clare mentionem facientes? quibus verbis ille reſpondebat: *per triginta & tres annos hanc artem exercui, omnes Auctores evolvi: ideo me magis in lectura te verſatum unuſquiſque facile conjicere poterit;* videris, inquiebam ego, per totam tuam ætatem legiſſe & diſſecaſſe, hos tamen te non legiſſe Auctores conſtare videtur. *unicum*, reponebat ille, *ſi mihi demonſtrare poteris Auctorem, qui de hâc membranâ medaſtina ſeu Septo ſomniavit, nedum ſcripſit, magnus mihi eris Apollo;* porrigens mihi dexteram. *& hoc à te exigo ut facias quam primum.*

Hoc audiverunt quatuor Chirurgi, ejuſque filius Henricus, qui patrem fideliter in hac ſui defenſione juvabat; eodem modo, quo fit ab illo aliquando in Theatro Anatomico & Horto Medico; quando publicè hæſitanter prælegit. Ego interim ut promiſſis meis ſtarem, & Ruiſchii petito ſatisfacerem, ipſi ſcripſi Epiſtolam die XIX. Menſis Junii impreſſam: quam in fine adjunctam legere poteris, ubi ſeptem citavi Auctores, tale Septum, cujus ſe inventorem eſſe gloriatus eſt deſcribentes: Carolum Stephanum,

Ni-

Nicolaum Massam, Joannem Riolanum, Theophilum Gelée, Petrum Laurenbergium, Joannem Riolanum Filium, Dionisium. Quorum ipsissima verba, in illa Epistola, quam ideo ad hujus calcem jungi curavi, legi possunt. Nullum exspectaveram responsum in hanc epistolam: quandoquidem in illa unicè agebatur, utrum aliquis Auctorum, de tali Septo, ceu membrana, quæ cavitatem unicam Scroti in duas distinguit (*ut ait Ruischius*) mentionem fecisset. Nam de verâ hujus Septi constitutione si inter nos actum fuisset; ego tale in rerum natura dari, mox negavissem: inopinato tamen Ruischius Apologiam suo more facit, in epistola suâ problematicâ XII. de cerebri corticali substantiâ, ad Doctiss. Ettmullerum, olim discipulum meum, ad diem XXI. Mensis Augusti, conscriptam, quam Lector æquus legere poterit circa finem. Hanc si refellere aggrederer, de verbo ad verbum, scommata, & convicia reponere deberem, viro bono indigna.

Sed hæc defensionis ejus summa esse videtur.

I. Quod me mancum, mutilatum, & distortum (ut loquitur) DISCURSUM proposuisse, in epistolâ meâ, dicat.

II. Quod neget, se vel dixisse, vel scripsisse, sese primum Inventorem talis membranæ esse.

III. Se verò, veram illius membranæ, seu Septi, constitutionem dedisse, vasaque in illo exhibuisse.

IV. Hanc demonstrationem, & dilucidationem veræ constitutionis hujus Septi, deberi singulari suæ, partes exsiccandi methodo, quâ mediante, se plurima detexisse gloriatur, de quibus NEC VETERES COGITAVERINT UNQUAM, NEC SOMNIAVERIM EGO.

V. Me nihil potuisse, ipsi rei opponere, sed me totum fuisse in adducendis Auctoribus.

VI. Sibi gratulatur Ruischius, me nihil potuisse reperire, quod RODEREM, ex omnibus illis, quæ hactenus publicè demonstraverit, & typis ediderit, nisi hoc UNUM.

Ad partem igitur ejus vindiciarum primam, Ruischio satisfieri nullus dubito, si meminerit verborum, inter nos habitorum, in Camera Chirurgica, quæ ego superius, de Bartischiano instrumento, à me emendato, primam, hujus dissidii anatomici causam esse, fideliter retuli; quæ in epistolâ mea ad illum scripta, ne divagari viderer, supprimere volui, quandoquidem ad rhombum nihil faciebant: etenim illam ego epistolam nunquam typis excudi jussissem, nisi Ruischium ejus vidissem cupidissimum. Illi etiam, qui nos de hâc materiâ audiverunt confabulantes, si memoria omnia revolvere dignabuntur, me, ne latum quidem unguem, ab sermocinationis nostræ sensu discessisse, profitebuntur. Interim si adhuc Ruischius me mutilata proferre sibi, & aliis, persuadere velit, & adhuc mancam, & distortam, verborum hanc inter nos habitorum, repetitionem esse, dicat, nisi, in quâ parte peccaverim, notet: obdurabo in sententia, illum, in obnubilanda veritate scommatibus, & opprobriis TOTUM ESSE.

In parte ejus Apologiæ secundâ, mirabitur Lector hujus viri inconstantiam, & in rebus seriis mentem volubilem. Nonne plus centies hoc Septum in Scroto indurato, *lapidis instar*, in Theatro publico exhibuit, quod, quodam tam singulari dicit hic noster fieri, artificio, ut in eo, ultrà triginta & quatuor annos, desudaverit. ideo rogat Gaubium, discipulum suum, ut ipsi *conniveat*, quando, hanc scrotum præparandi artem, ipsum docere, recusat: verendum enim esse ait Ruischius, ne alii *Corniculæ Æsopicæ instar*, suo hoc postmodum secreto indurandi partes, superbiant. * Nonne plus centies dixit, in eodem loco, in doctorum confessu, qui, in memoriam ejus dicta revocare possunt, *quis unquam Anatomicorum vel veterum, vel recentiorum, tale Septum vidit? de hoc Septo scripsit? ullam mentionem fecit? Somniavit de hoc Septo ante me certè nullus.* Quæ verba huic viro in publicis suis Lectionibus familiarissima sunt, quando se suis NON ENTIBUS, jactantius effert, & in vanis rebus laureolam quærit. Sed alia, si haberem nulla, quæ, Ruischium, sese Inventorem hujus Septi dixisse (quod in rerum natura non datur) convincerent, ante victoriam triumphum canerem: Nam si lapsum, hoc, linguæ suæ fuisse, clamaret Ruischius, quis ipsi victoriam non cederet? utpote qui in Lectionibus suis ipsi tam crebrò accidit.

Probemus hanc vanam gloriam ex epistola ejus potiùs: nam litera

* *Vide ejus Epistolam Responsoriam II. sub initium.*

ra scripta manet, & quidem ex primâ commercii sui literarii, cum discipulis suis, * ubi ille, qui ad Ruischium scribit, sex adducit Scriptores Anatomicos, nullam de hoc Septo mentionem facientes. hisce jungit, in responsione suâ ad hanc epistolam, Ruischius duos. Hos ego omnes Auctores citatos esse puto, ut in hunc † MARONEM inventionis gloria resultaret. nam quos ego in epistola meâ citavi Auctores, vel Ruischius novit, vel non novit. si illos novit, cur non illorum loca adduxit? cur non quæ perperam ab ipsis descripta fuerunt, correxit? cur non quæ obscura ab ipsis tradita sunt, illustravit, quando dilucidatoris nomen ipsi etiam in minutissimis vasculis delineandis, est valdè acceptum. Si verò non novit, quos septem illi detexi Auctores, gratiosus potiùs, quam mihi infensus fieri debuisset. hoc enim â me petivit & rogavit, ut adferrem vel unicum Scriptorem de membranâ hac suâ mediastinâ quidquam dicentem.

Sed ultrà ut tibi Lector declarem, Ruischium hanc inventionis prærogativam captavisse: Lege *corollarium tertium, transsumptum ex Epistolis responsoriis Viri Clarissimi Frederici Ruischii, ab Joanne Gaubio*, affixum disputationi medicæ, *de Anatomia corporis humani, primæ, sub Præsidio Domini Petri Bernagii, Med. Doct. atque in Illustri Athenæo Amstelodamensi, Professoris*, quod sic sonat. *Scrotum, Septi beneficio, in duas dirimi partes, ut laudatus modo Anatomicus* (subintelligitur Ruischius) INVENIT, *& figuris expressit, testamur, & defendimus.*

Hæc disputata sunt, coram Ruischio, in Athenæo Amstelodamensi. Et ut magis hujus viri fama clarescceret in doctorum corona, lecta est epistola ad illum scripta â Cl. Do. Verheyen Professore Lovaniensi, publicè, quæ, Ruischium vel hujus Septi inventorem esse deprædicabat, vel saltem scriptorem illius epistolæ, tale septum antea nunquam vidisse, testabatur. ‡

Conjice jam Lector, quid de hujus viri modesto conjiciendum animo, quomodo spernat aliorum superbire gloriâ, quomodo CORNICULÆ ÆSOPICÆ mores, & INVENTORIS titulum averfatus fuerit.

* *Ubi quoque inspice ejus figuram I. & II.*

† *Hoc enim nomine Ruischius ipse superbit.*

‡ *Lege præterea Dom. Verheyen appendicis partem, quæ ad Ruischium spectat, ejus Anatomiæ in calce adjunctam.*

Sed quod defendere non potest, libenter concedit, ferè his verbis, *Fac*, dicit ille, *tale Septum, noverint laudati Anatomici, & penè veram Septi constitutionem: Ego tamen illud dilucidavi, & vasa in illo dari, descripsi, & delineavi.*

Vide iterum, Lector, hominis inconstantiam, qui, cum se anteâ inventorem dicere voluit, nec probare potuit, jam dilucidatoris munere contentus, vaniori adhuc gloriâ se efferre, auspicatur. Transiisset hoc, Lector benevole, cum cæteris, hujus viri erroribus, ut qui, cum septem à me citatis Auctoribus in epistolâ mea erraverit, id est, descripserit, quod in rerum natura non daretur, modo se illorum Aristarchum jam esse, in apologia sua de novo non professus fuisset.

Nam non unum Scrotum habet homo, sed cuti involuta duo, quod mox per figuras, hoc amat enim Ruischius, dilucidabo, & unicuique demonstrabo in cadaveribus, à quadriennio denatis, & in spiritu vini, frumenti, vel sachari, conservatis: melius tamen & naturæ convenientius in recens defunctis. Sed Lector æque, concedè mihi veniam, antequam ejus demonstrationi, & descriptioni incumbam, quædam reponendi, huic nostri Ruischii Apologiæ parti, quam, paulò ante quartam feci, ne quidquam intactum relinquam, quod tangere mihi proposui, ubi methodum suam exsiccandi, laudibus extollit in altum, ut lapsu graviore ruat. Huic, ille adscribit illustrationis hujus Septi causam. Jam dico, prædictos meos Auctores non habuisse hanc exsiccandi & fucandi methodum: nam cadavera recens denatorum dissecuerunt, & tamen eodem modo ac Ruischius viderunt Septum, ut ajunt. Illorum incuriæ adscribendum est id vitii; Ruischii methodo præparandi hic error; quæ revera per multas vices illum fefellit; testis est, membrana Ruischiana in oculo, adeò in Theatro publico ab illo decantata, & Anastomosis arteriæ (perperam ab ipso dictæ Bronchialis) cum arteriâ pulmonali, & plurima alia, de quibus non SOMNIABO, sed vigilanter & nervosè agam, forsan alibi.

Tandem Ruischius dicit, me nihil contra se potuisse facere, sed aliorum tantum dictis, ad sua refellenda, me contentum fuisse.

Scias velim, Lector, in studiis meis, tranquillitatem me prætulisse semper contentioni. Jam dudum Auctorum multorum gloriam ab Ruischio, nunc verbis, nunc scriptis, attritam defendissem; quod justum esse puto; uti certè ipse, Ruischium post ejus fata, defen-

fenderem; si modo relicturus sit gesta, memoriâ, & defensione digna. Jam ut videas me potuisse ipsum reprehendere: quod citati â me Auctores non attulerunt, me potuisse adducere, & quippiam adferre, observabis ex scroti constitutione vera jam à me describenda.

Scrotum ex cuticulâ, cute, & membranâ, quæ δαρτὸς, seu carnosâ dicitur, conflatur. Cutis non ab alia differt, nisi, quod hic loci sit tenuior: vide Auctores. Membrana δαρτὸς panniculi carnosi propago est; vide Auctores. Quem panniculum si dari negas, in homine, fateberis saltem illam, membranæ adiposæ continuam esse. Cutis investit δαρτὸν, ceu membranam carnosam, & ambos, in unicum suum saccum recipit testiculos. Membrana δαρτὸς ad utrumque veretri latus, sacculum efformat singularem, unicuique testiculo privatum involucrum; quare omnes decipiuntur Auctores, qui scribunt, testiculos habere duo involucra communia, cutem nimirum, & carnosam membranam, quasi carnosa membrana unicus saccus esset †, eodem modo, quo cutis, testiculos involvens. Imposterum dicendum erit testiculos nullum habere, nisi cutem, involucrum commune, membranam vero carnosam, quam communem dixerunt, ab utroque latere penis, in duos sacculos expandi, quorum unusquisque sacculus, unumquemque testiculum singulariter continet: hi sacculorum parietes, ubi se invicem tangunt, tam leviter connascuntur, ut eâ cutis parte ab illis separata, quæ illorum conjunctionis rimam obtegit, & hâc ratione futuram, sic dictam, constituit (quæ ab ano, per scrotum, ad extremitatem præputii excurrit) facili negotio vel digitis, vel cultro divelli possint, & disjungi. *.

Sutura autem hæc, in scroti cutis parte media spectabilis, non nisi ex particulari nexu cutis, cum utroque sacculo, profertur: nam hiatus horum sacculorum ferè sphærideorum in causa est, quod heic loci cutis utrique sacculo, seu potius utrique Scroto, laxiùs cohæreat: cutis enim magis quam membrana δαρτὸς explicabilis, majorem etiam & magis regularem, & distinctiorem rugam, Suturam dictam, per lineam ad hiatum parietum sacculorum, directam, gignit, quam cutis in aliis locis, tenaciter magis hisce sacculis connata. Hæc ut mente facilius concipias, duo corpora ferè sphæroidalia jungito, hæc simul linteo obducito, & reperies linteum per sinum triangularem distare plus

* *Vide Tab. I. Fig. II. & Tab. II. Fig. I.* † *Hunc, in ejus medio in duas cavitates distingui, ope membranæ mediastinæ, dicunt citati â me Auctores, & post illos Ruischius. Vid. Epist. hujus calci adjunctam.*

ab his corporibus, ad totam circumferentiam attactûs parietum. Hoc plus minus de scroti cute, ut de linteo intelligito: scias enim separata cute, eaque leviter expansa totam deleri in cute anteà visam futuram, quare vix veremur dicere, præ alia cute Scroti, nihil habere hanc futuram particulare: sed quare eadem futura in cute penis, quamvis obscuriùs, quoque videatur, non est hujus loci proferre: nam & alia, quæ ad Scroti, & testiculorum dilucidationem, facerent, adducere possem, nisi extra arenam descendens, Lectoris benevolentia abuti vererer.

Tandem Ruischius sibi gratulatur, quod nihil potuerim RODERE, præter hoc unicum, de Septo Scroti. verius dixisset me nihil voluisse RODERE: nam quamdiu Ruischius me, meâ in meis studiis tranquillitate frui sinet, & per MUSSITATORES SUOS, ET MALIGNI INGENII HOMINES, qui illi sunt à consiliis, famam meam invadere desistet; multa de perversis ejus studiis supprimam; sin verò in eâdem studiis meis nocendi voluntate, perseveret, non desinam, contra ejus nigrum carbonem, quo me apud plurimos vel ipse vel per suos denigrare satagit, Apologiam meam facere, veritatis plenissimam. Et de hoc Correctore & Emendatore aliorum Auctorum, jam amplius nihil dicam: nec enim omnia effundam, ut, si sæpius decertandum sit, ut forte erit, semper novus veniam, quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum largietur, nunc ob lecturæ ejus defectum commissorum, nunc ex suæ exsiccatoriæ artis fuco productorum, vel etiam propter ejus incuriam ortorum. Tu verò Lector benevole, si quid à me acerbè dictum, viro, qui canos habet, & rugas, conjicias; cogita, si tu Ruischium tam severum persecutorem haberes, qualem ego habeo, an tu quidquam leniùs scribere potuisses, ut, qui Studiorum meorum, in hâc civitate, est infensissimus hostis. Tu vale, & æque judica.

Scripsi Amstelædami XII. Kal. Novembris
M. DC. XCIX.

FIGURARUM EXPLICATIO.

TAB. I. FIG. I.

Instrumentum indicat, quo in operatione, quam instituo in phalangosi, utor, ex duabus cupreis lamellis conflatum tenuissimis, sed tamen eo usque rigidis, ne facilè flectantur. Applicatur palpebræ superiori relaxatæ adeo ut excavatio palpebram: cochlea canthum oculi minorem respiciat. Genuinam habet magnitudinem, ad figuram palpebræ appropriatam. tamen debet vel minus, vel majus fieri respectu palpebræ relaxatæ.

A. B. Duo instrumenti brachia cuprea.
C. Brachiorum junctura.
D. D. D. Tria foramina in superiore lamella, quorum circumferentia spiratim excavata, cochleæ spiris respondere debet.
E. Unum foramen in brachio inferiore, quod nullâ spirali excavatione indiget.
F. Cochlea.
G. G. G. G. G. G. Foramina in utroque brachio sibi invicem ex directo superposita.
H. H. Filum absciissum, per duo foramina utriusque lamellæ traductum, ope acus; quam K. K. indicat.
I. Filum per acus foramen pendens, quod longius esse debet, quam hic repræsentatur.
K. K. Acus per utriusque lamellæ foramen trajecta, leviter curvata, ne ossis frontalis eminentia, quæ orbitæ partem superiorem, & exteriorem, constituit, impedimento sit ejus traductioni.

TAB. I. FIG. II.

Scrotum humanum pubescentis mediocriter inflatum, & ligatum repræsentat.

A. Penis flaccidus, ad posteriora reflexus.
B. Cutis sursum reflexa, & in illa Scroti parte separata, quæ futuram insculptam habet.
C. C. C. C. Cutis, ab membrana subjacente carnosa, magis lateraliter separata, & reflexa.
D. D. D. D. Cutis, quæ adhuc membranæ carnosæ, duos sacculos efformanti, adhæresit.
E. Arteriarum & venarum in cute Scroti congeries, quasi rete exhibens, quatenus in hoc Scroto se visui absque ulla prævia præparatione exhibebat.
F. Cutis, futuram Scroti oculis subjiciens, quæ à flatu, simul cum sacculis paulisper explicata, adeo translucet, ut sacculorum duorum hiatus, per hanc cutis partem, clarè conspiciatur.
G. G. Duo Scrota seu sacculi, ex membranâ carnosâ formati, quatenus se, dempta cute, offerunt.
H. Fibræ sinistri sacculi carnosæ, ad penem excurrentes.
I. Rima seu hiatus, ubi duo sacculorum interni parietes concurrunt, perperam mediastini nomine descriptus.
K. Fasciculus vasorum, per interstitium duorum sacculorum pullulans, quæ varie disseminata vasa membranæ carnosæ & cuti, (nam inter hanc & illam excurrunt) prospiciunt.
L. Vasculosum rete in sacculo sinistro ex arteriis & venis conflatum, quatenus illud oculis conspici à depictore potuit: nam in aliis præterea locis, ubi se æque visui offerebat, non curavi ut depingeretur; quandoquidem non opus esse judicavi.

TAB. I



FIGURARUM EXPLICATIO.

TAB. II. FIG. I.

Duos ferè ſphœroideos, ex membranâ carnosâ formatos ſaculos ab invicem ſeparatos exhibet, & leviter inflatos.

A. Penis flaccidus & reflexus ſurſum, & ad poſteriora.
B. Cutis, ut in præcedente Figurâ II. Tab. I. Literâ B. notatur.
C. C. C. C. Cutis, ut in præcedente Figura II. Tab. I. adhuc carnoſis ſaculis adhæreſcens notatur.
D. Teſticulus dexter in vaginali ſuo proceſſu adhuc involutus, & per hunc dexterum ſaculum quaſi per umbram viſus.
E. E. Duo ſaculi ſeu Scrota ex membranâ δκρτοῦ formata, ab invicem ſeparati.
F. F. Cutis ſeparata à ſaculis carnoſis, & reflexa, ut in Tab. I. Fig. II. C. C. C. C. notatur.

TAB. II. FIG. II.

Teſticulum ſiniſtrum in ſuo adhuc proceſſu peritonei, vaginali dicto hærentem demonſtrat.

A. Teſticulus ex ſiniſtro Scroto, Fig. I. Tab. II. exemptus, ſuo adhuc proceſſu vaginali obvolutus.
B. Idem vaginalis proceſſus inflatus, & ligatus.
C. Vaſa teſticuli ſpermatica, hujus proceſſûs ſuperficiei internæ adhærentia, & per membranam tranſparentia.

TAB. II

F. I



F. II